



Appendix ad Rituale Romanum

DE POENITENTA

Methodus admittendi hæreticos AD PROFESSIONEM FIDEI SEU ABJURATIONEM.

1. Sacerdos igitur, cui facultas abjurationis recipiendæ comissa est, superpelliceo et stola violacei coloris indutus, sedet in cornu Epistolæ, si Sanctissimum Sacramentum in tabernaculo asservetur, sin minus, in medio Altaris, et coram illo genuflectit neoconversus, qui Evangelii codicem dextra manu tangens, emittit professionem fidei prælegit, ut conversus eamdem intellegere, et cum Sacerdote distinctis verbis enuntiare possit.

2. Professione fidei emissâ, neoconversus genuflexus manet, Sacerdos vero, sedens ut prius, dicit Psalmum: Miserére, vel Psalmum: De profundis, ut infra:

Psalmus 50

Miserére mei, Deus, secúndum magnam misericórdiam tuam.
Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum, dele
iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea; et a peccáto meo munda
me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco: et peccátum meum
contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci: ut justificéris in
sermónibus tuis, et vincas cum judicáris.

Ecce enim in iniquitáibus concéptus sum: et in peccátis
concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti: incérta, et occulta sapiéntiæ tuæ
manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor: lavábis me, et super
nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et lætitiam: et exultábunt ossa
humiliáta.



Avérte fáciem tuam a peccátis meis: et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus: et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me a fácie tua: et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætitiam salutáris tui: et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas: et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus Deus, Deus salútis meæ: et exultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries: et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísse sacrificium, dedísssem útique: holocáustis non delectáberis.

Sacrificium Deo spíritus contribulátus: cor contrítum, et humiliátum Deus non despícies.

Benígne fac Dómine in bona voluntáte tua Sion: ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptátis sacrificium justitiæ, oblatiōnes, et holocáusta: tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Glória Patri.



Vel

Psalmus 129

De profundis clamávi ad te, Dómine: Dómine, exáudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes, in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine, Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiatio est: et propter legem tuam sustinui te, Dómine.

Sustinuit ánima mea in verbo ejus: sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem, speret Israël in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia; et copiosa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël, ex ómnibus iniquitáibus ejus.

Glória Patri.

3. Psalmo finite, Sacerdos surgit, et dicit:

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster *secreto usque ad*

V. Et ne nos indúcas in tentatióne.

R. Sed líbera nos a malo.



V. Salvum (-am) fac servum tuum (ancíllam tuam),
Dómine.

- R. Deus meus, sperántem in te.
V. Dómine, exáudi oratióne meam.
R. Et clamor meus ad te véniat.
V. Dóminus Vobíscum.
R. Et cum spíritu tuo.

Oremus.

Oratio.

Deus, cui próprium est miseréri semper, et párcere: súscipe deprecatióne nostram; ut hunc fámulum tuum, quem (hanc fámulam tuam, quam) excommunicatiónis senténtia constríngit, miserátio tuæ pietatis cleménter absolvat. Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen

4. Deinde, Sacerdos sedet, et facie ad profitentem genuflexum versus, eum ab hæresi absolvit, dicens:

Auctoritáte Apostólica (*vel* Auctoritáte reverendíssimi Episcopi N.), qua fungor in hac parte, absólvo te a vinculo excommunicatiónis, quam (*in dubio gravi vel etiamlevi, num incurrit, additur:* forsán) incurrísti, et restítuo te sacrosanctis Ecclésiæ Sacraméntis, communíoni et unitáti fidélium,

in nómine Patris, et Fílii, + et Spíritus Sancti.

Amen.

5. Tandem abjuranti aliquam pœnitentiam salutarem injungat, e. g. aliquas preces, visitare ecclesiam, aut quid simile.

6. In foro autem interiori, Confessarius facultatem absolvendi ab hæresi habens, absolvat juxta formam communem, in absolutione sacramentali præscriptam.